

IV. fol. ult. Hee sunt figure Algorismi. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. Inter has figuras est quedam figura que dicitur cifra uel cifrus et nichil significat, id est, nullum numerum representat &c. Sola Numerationis Rudimenta.

Codicis Thecam interne conuestiunt Segmenta Tractatus cujusdam Rabbinici, cujus deprehenditur פרק שנים עשר hoc initio: הלוקח פירות ממי שאינן נאמן &c.

Fol. praeuio inscriptum: Hunc librum flores beati augustini continentem donauit dominus Otto canonicus Quinque ecclesiensis monasterio Sancte dorothee Wienne Anno domini M°. CCCC°. XLVII°.

CCCLI

U. 180 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 265. f. non una manu, commode tamen perscriptus, rubricis enotatus et legatus olim Collegio Ducali Vien. a Thoma Haselbachio sequentia complectitur: I. Sermo sancti Augustini de Natiuitate Domini. Initium: Rogo vos fratres karissimi. ut libenti animo sermones quos dominus dabit suscipiatis: in hac dulcissima die &c. et finis: misericors dominus intromittat, qui uiuit et regnat &c. Caesarium potius referens, quam Augustinum rite ablegatus est in Append. T. V. edit. Maur. col. 212.

II. fol. 4. p. 2. praemissis tamen IX. Librorum Summariis Incipit exposicio Sancti Ambrosij Episcopi in Euangelium Sancti Lucce Euangeliste. Dixi IX. Libro-

rum; ut enim in Codice hoc integrum sit Opus, non tamen in X. quemadmodum edit. Maur. Paris. 1686. T. I. col. 1261. f. sed in IX. Libros tribuitur. Discrimen incipit ab L. VI. qui in Codice totum L. VII. Editionis absorbet ita, ut Liber VII. Codicis sit VIII. Editionis, Liber VIII. Cod. sit IX. Edit. et IX. Cod. sit X. Edit. Initium L. I. est: Scripturi (in) sancti euangelij librum unum quem Lucas &c. et totius Operis finis: pauciores intra conclaue, in monte complures fuisse. Additur: Basilee in Concilio 1434. Policarpi martiris, ubi Haselbachius praefens Librarium unum de multis conduxerit.

III. fol. 133. Incipit sancti Ambrosij episcopi de Officijs liber primus. Ita quidem: Non arrogans uideri arbitror, si inter filios &c. Sequitur Liber II. et III. et hic ipso initio prave omittit verba: David propheta. Finis egregiae institutionis: quodam compendio expressa plurimum instructionis conferat.

IV. fol. 192. Incipit liber primus dialogi sanctorum Basilij et Iohannis Crisostomi. Et ad calcem: Explicit dialogus Crisostomi de dignitate sacerdotali. Omnes VI. Libri, quibus, primo excepto, Elenchus Caputum praemissus est. Incipit I. Michi quidem multi fuerunt certi amici &c. Extat haec Versio in edit. Basil. 1522. T. V. Opp. Job. Chryf. incerto, ut ibi fertur, Interprete, neque ego magis novi, an ad Anianum, aut Mucianum, aut Burgundionem,

aut

aut *Ambrosium Camald.* veteres *Chrysofostomi* Traductores referenda fit. Aliam elaboravit *Germ. Brixius* Sec. XVI. quae habetur in edit. lat. *Opp. Chrysofostomi Lugd.* 1687. T. V. p. 194. Novam denique dedere *Mauriani* edit. graec. lat. *Paris.* 1718. T. I. p. 362.

V. fol. 221. p. 2. Incipit *primus liber de Chayn et Abel sancti Ambrosij mediolanen. episcopi.* Ita: *De paradiso in superioribus pro captu nostro ut potuimus &c.* Sequitur *Liber II.* ut edit. *supracit.* T. I. col. 183. sed Codex noster in verbis: *qui mavult peccatoris correctionem quam mortem,* subsistit, nec habet *περινοσην* illam de *Lamech.*

VI. fol. 235. p. 2. *Sermo Eusebij cesarien. episcopi. De corpore et sanguine Domini.* Initium: *Magnitudo celestium beneficiorum angustias humane mentis excedit &c.* et finis: *pijs nos operibus preparare dignetur qui viuit et regnat &c.* In edit. *Opp. Hieronymi Vallars.* T. XI. inter spuria legitur col. 255. In veteri Codice *S. Germani* nomen *Isidori* praefert, in nostro inscribitur *Eusebio Caesar.* T. VI. *Biblioth. PP. Lugd.* p. 636. inter *Homilias Eusebii Emiffeni* seu *Gallicani* est n. V. *de Pascha.* Verum neque huic eam indulget *Oudinus,* sed totum istud *Homiliarium* vindicat *Fausto* ex *Abbate Lerinense* Episcopo *Regiensi* in *Gallia.* Vide T. ejus I. col. 1309.

VII. fol. 237. p. 2. *Sermo Ambrosij sextus de sacramentis.* Libros hos VI. adpellari posse

totidem *Sermones,* dant etiam in *Admonit. praevia Mauriani* T. II. col. 348. Praesens ultimus diffractus a fratribus incipit: *Sicut verus est filius dei dominus noster ihesus christus &c.* et tamen ad calcem additur: *Explicit opus — de Sacramentis. Henricus de Colonia.* Quod Librarii nomen putem. Tum continuo:

VIII. fol. 239. incipit *de paradiso Rubrica.* Aliud *Ambrosij Opusculum,* quod infit: *Et plantavit Deus paradysum in eden &c.* *De paradiso adoriendus sermo non mediocre nobis estum &c.* Extat *Opp.* T. I. col. 145.

IX. fol. 255. *Commonitorium palladij.* Ita inscribitur Versio *Opusculi περι των της Ινδιας εθνων και των Βεαγμανων,* quod absque Autoris nomine graece una cum sua interpretatione edidit *Joach. Cameraarius* in *Lib. gnomologico Lips.* 1571. 8. quodque hujus editionis ignarus *Palladio* inscriptum reproduxit *Ed. Biffaeus Lond.* 1665. 4. *Palladium* hunc quidam Scriptorem illum *Historiae Lausiacae* Sec. V. habent, *Lambecius* vero *Sophistam Methonaeum* Sec. IV. Neutra tamen firmo talo stat opinio. Versio nostra omnium antiquissima incipit: *Mens tua que discere et multum discere cupit immenso sapientiae amore succensa* (ή πολλη φιλοπονια σε, και φιλομαθια, και φιληκοια) *eciam aliud nobis opus quod efficere deberemus iniunxit, hoc est braemanorum consuetudinem uitamque monachorum &c.* Nihil Graecus de *Monachis,* nihil Interpres de *φιληκοια,* qui in uni-

verfum parum se exemplo suo adstringit. Eum hic inter *Ambrosii* Opuscula interceptum esse, fortassis in caussa est Tractatus ille spurius de eodem argumento, quem et Codices *mss.* puta *Vatic. Mediol. Medic.* et horum auctoritate Editiones antiquiores *Ambrosii*, v. g. *Romana* coepta 1579. et ad eam expressae, ut *Parisiensis* 1661. T. V. col. 553. perperam *Ambrosii ad Palladium* inscribere, unde fieri potuit, ut Librarius noster in titulo praemisso *Commonitorium Palladii* rō *Palladii* quasi dativo casu, seu *ad Palladium* intellexeret. Ceterum *Pseudambrosius* iste etiam apud *Bissaeum* cit. p. 57. praesto est.

X. fol. 262. p. 2. *Ambrosius de lapsu virginis Susanne*. Omissa illa periodo: *Puto levius esse crimen &c.* incipit: *Quid taces anima, quid cogitationibus estuas &c.* Tributum olim etiam *Hieronymo* Opusculum *Vallarsius* in T. XI. ad col. 180. rejecit. *Mauriani* tamen *Ambrosium* maluerit, ut habes edit. *suprac.* T. II. col. 305. Rationibus eorum expensis ob stili maxime discrepantiam *Vallarsius* illud *Niceae* Civitatis *Romatianae* seu *Romaniciae*, quam quidam *Aquilejam* volunt, seu *Romesianae* vel *Remisanae* in *Moestia* Episcopo adjudicat, fultus *Gennadii* c. 22. testimonio, qui *Niceam* hunc tradit *Libellum ad lapsam Virginem* edidisse. Exemplar nostrum mendosum, neque integrum est; exit enim in verba: *dummodo nec illas penas eterni ignis incurrerent.* Ultima igitur II. *Capita*, five in

Corruptorem Invectio, et *ad Lapsam Consolatio* desunt.

Ad convestendum Codicem ferviunt Membranae mutilae, quibus continentur Literae executoriales *Petri* Episcopi *Elesten.* pro *Augustino Türgarth* a *Martino* V. pro beneficiis ecclesiasticis in Dioec. *Patav.* et alia, cujus nomen abscisum est, commendato. Datae sunt a. 1425. *Martini* octavo.

CCCLII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3090 XII. Folior. 101. 4. maj. non una manu, eleganter tamen scriptus, rubricis distinctus, et olim *sancte Marie in Pomgartenberge* Ord. *Cist.* in super. *Austria* continet sequentia: I. praemisso Indice *Incipiunt questiones LXV. Orosii & totidem Responso S. Augustini.* Initium: *Licet multi et probatissimi uiri diuerso quidem stilo & non diuersa fide &c.* Finis: *Nam qui preeffe festinant, quidam patrum eliganter expressit, sciat se non esse episcopum, qui preeffe desiderat, non prodesse.* Atque vel solus hic finis Lectorem docere potest, non esse *Augustinum*, qui se ipsum ita citare ac laudare possit; est enim haec *Augustini* sententia L. XIX. *de Civ. Dei* c. 19. Unde et *Mauriani* *Quaestiones* istas ad *Append.* T. VI. col. 7. ablegavere.

II. fol. 19. *Incipit liber questionum S. Augustini episcopi.* In *Append.* T. III. col. 41. inscribuntur *Veteris et Novi Testamenti*, quae divisio etiam nobis ad fol. 41. p.